

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PA

TRI, IOANNI A MEITZE HVSEN, ARCHIEPISCOPO

Treuerensi, principi Electori, &c. Ioannes Guinterius

Andernacus S. D.



Vī ingenij sui labores in lucem proferunt, antistites amplissime, hoc in primis solent profiteri, nihil sibi maiori esse curę, nihil se æque studere, quām ut uitæ, usuiq; ho minum consulant. Quod animi studium ac propensio nem inde iam ab adulescētulo admiratus, diu multūq; cogitauit, quanam re & ipse possem prodesse quamplu rimis: ac nulla hactenus commodior occurrit, quām si quæ summis ingenjs exquisitaq; doctrina, ueteres medici gręco sermone tractauissent, ea latinis literis illustranda fusciperem. Non sanè quia medicina gręcis & literis & doctoribus percipi non possit, sed meum semper iudicium fuit, etiam eos qui optime gręcam linguam callerent, promptius hac latinam intelligere: deinde quod bona nostri temporis medicorum pars uix latinam orationem, nedum gręcam assequatur. Sum igitur aggressus primum uaria Galeni opera, quibus mille ferè annis scholę caruerāt, inter quæ extant cōmentarij de confectionib; administrandis, de Hippocratis & Platonis placitis, de compositione medicamentorum secundum genera, de antidotis. His accessit Paulus Aegineta, alijsq; autores, quorum hic mentionē facturus non sum, ne uidear prolixior. Cum uero liberatū me iam laboribus, defunctumq; hoc munere putarem, alijs animum negotijs occupantibus, ecce noua traditur Sparta excolenda, nempe publica medicinę docendę prouincia. Qua suscepta, rursus alia me cura ac solicitude afficit: quo scilicet pacto illam pro dignitate possum exornare. Itaq; quantum otij uel à priuatis, uel publicis negotijs cedebatur, id totum communib; iuuandis studijs accōmodauit: cumq; multas res in medicina nequaquā satis adhuc nitori suo ac dignitatire restitas uiderem, præcipue uero medicamentorum compositionis disciplinam multis retro annis neglectam, nondum etiam ab huius seculi medicis excultam, intellecti me operæ pretium facturum, si Galeni opus eruditum de compositione medicamentorū, quæ unicuiq; corporis particulae conueniunt, in sermonē latinum conuerterem. Nam miscendi medicaminum ratio si medico sit incognita, ut cætera illi amplissime sint concessa, nihil est quod egregium abs se fieri posse confidat. Quid enim in tot contrarijs naturæ affectibus, qui diuersas medicamentorū uires postulant, medicus professione sua dignum præstiterit, congruentis illorū misturæ ignarus? At hodie quidem omnia se ex simplicib; medicamenris confectionis promittunt, cum diuinus ille Hippocrates etiam ea quæ id quod par est sola ac per se efficiunt abunde, alijs temperarit condimentis, ne uel stomachum subuertat, uel gustanti percipiatur insua via.

EPISTOLA NVNC V PATORIA.

Iam uero perleraque medicamina, si Galeno credimus, ne in usu quidem, ci-
tra aliorum commixtionem, esse possunt. Quanquam eos non probem,
qui citra necessitatem ad composita configuant, tam inepte, ut hodie fie-
ri solet, ne dicam infelicitate ea congerentes, ut si non uitae periculum, cer-
te noxam multo maximam corpori infligant. Qua de causa Herophilus
ille inter maximos quondam medicos habitus, uerè dixisse fertur, Medica-
menta deorum manus esse, si eum qui ipsis uteretur, in rationali metho-
do exercitatum, necnon industrium, naturaque prudentem sortiantur:
ac rursus nihil esse, si in hominem usu, non scientia nitentem inciderint.
Laborem igitur nostrum, quem in hoc opere longe utilissimo transfe-
ndo suscepimus, tuo nomini, Antistes clarissime, nuncupare uisum est: par-
tim quod patriae nostre, cui secundum Platonem non parum debemus,
religionis nomine primas sis, & patronus: deinde quod ob uirtutes ani-
mi singulares, uitae innocentiam, in maximis rebus apud summos Re-
ges & Imperatores transfigendis magnanimitatem & prudentiam incom-
parabilem, ad istum dignitatis tuae honorem sis electus, in quo optima
quæque, omnes qui iudicio pollent, de te sibi promittunt. Hanc meam
de te opinionem auxerunt, Henricus Falkenborch legum doctor erudi-
tissimus, & Bartholomaeus Latomus, regius Lutetiae Latinarum lite-
rarum professor clarissimus, mirandum in modum nominis tui studio-
sus. Hi, inquam, uiri saepe mihi humanitatem tuam in literatos omnes,
clementiam in subditos, liberalitatem erga omnes praedicarunt. Quibus
animi tui dotibus fretus, literarium hoc munus tibi offerre audeo: quod
si laeta fronte excipias, alia in nominis tui honorem ac gloriam
comparare non grauabor. Vale. Lutetiae, anno ab orbe
redempto millesimo quingentesimo tricesimo
quinto, undecimo Calendas Maias.